

R M K III.

1177

1616.

3332
1187

(Sérint.)

3332.

Διασκέδασις
λόγων τῶν φιλοσοφικῶν

8.

quart. Brech. A D

QUODDAM STUDII PHILOSOPHICI INCITAMENTUM

Christo θεοανθρώπῳ auxiliante

BARTHOLOMÆO GRENSNERO FILCENSI HUNGARO IN ATHENÆO

Argentoratensi dum temporis hoc incumbente studio dissipata.

ET AD

NOBILISSIMOS, NOBILISSIMI FLORENTISSIMISq; Hungariae superioris Gymnasij Adolescentes, virtute doctrinâ, ingenio praditos

PRÆSCRIPTA

ANNO

IesV gnate Del slt tibl CVra Mel.

GREGORIUS.

Non superbè quis audeat vel contemnere vel iudicare aliquid quod melius illi fas haud est tradere.

ARGENTORATI

Excudebat Nicolaus Wyrriot.

1646



VIRIS
AMPLISSIMIS ELO-
QUENTISSIMIS, CLARISSIS-
MIS, ATQUE DOCTISSIMIS.

DN. MICHAELI BEUTHERO J. U. D. dignissimo & in Argentoratensium Academia Juris Professore amplissimo.

DN. M. MARCO FLORO Philosopho eximio Eloquentiæ Professore celeberrimo, Collegijq; Thomani Decano fidissimo.

UT ET



MAGNIFICO, AMPLISSIMO, CLARISSIMO, DOCTRINA, VIRTUTE, Variog; rerum usu perspicuo Viro Perillustris & Generosissimi Domini, Dn: Johannis Reinhardi Comitæ in Hannaw Zweybricken, Dn. in Lichtenberg & Ochsenstein &c. Consiliario meritissimo, dignissimo, DN. HARTMANNO OESTRINGERO Seniori.

Patronis, Mœcenatibus, Fautoribus, Promotoribusque suis sempiternâ debitâq; observantia colendis.

Hanc διασκέδασιν debitæ observantiæ amoris & gratitudinis ergo inscribit dedicat & offert.

BARTHOLOMÆUS GRENSNERUS
Filcensis Hungarus Ph. Stud.

NEC NON

VIRIS REVERENDIS, AMPLISSI-
MIS, CLARISSIMIS, ATQUE
PRUDENTISSIMIS.

DN. M. PETRO ZABLERO Superintendenti Regalium s. Civitatum dignissimo, Pastori apud Leucovienses Primario, Fautori devotâ mente colendo.

DN. BARTHOLOMÆO ALAUDA Pastori Slavorum apud Leucovienses & Administratori Ecclesiæ Germanicæ fidelissimo, Patrono debitâ summâque observantia honorando.

DN. JOHANNI SYLVESTRO Pastori apud Filcenses Vigilantissimo, Patrono sempiterno debitoq; honore prosequendo.

DN. PAULO BRETNERO Senatori apud Leucovienses amplissimo, Mœcenati per spectatissimo.

DN. CASPARO CRAMERO Senatori nunc apud Leucovienses spectatissimo, olim Præceptori suo æviternum colendo.

S. P. D.

Quantum in se Viri Reverendi, Clarissimi, Amplissimi, Charissimi, damnum ij habeant; quantum naufragium suscipiant, qui quodam arcano nature Vinculo patriæ se astringi existimant, juxta Euripideum illud ἀναγκάως ἐξέπαιρειδ ἑρῶν ἀπάντας imperat necessitas patriam amare cunctos: & Homericum ὡς ἔϊεν γλυκίον ἢ πατρίδ. Dulcius ut nihil est patriæ: & ut communifertur proverbio ὁ τῆς πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος τῆς παρ' ἄλλοις πυρὸς. Patriæ fumus igni alieno luculetior, mei ingenij id plane ac plenè verbis exprimere non est:

Ex Orestis Act. 2.

A 2

satis

*sat is interim superq, exempla eorum patrias ambabus semper ap-
 prehensas manibus fornaces qui tenent, & pericula (ut in Pro-
 verbio dicitur χαλεπὸν χερῶν κὼνα χεῦσαι Periculofum est ca-
 nem intestina guffasse) timent, testantur: Hoc ego anno 1615.
 13. Aprilis diligentius perpendens ne flos iuventutis mea ob patriæ
 amorem perderetur ad Academiam, in qua mihi nunc aura vefci
 licet florentiffimam, doctōrum Clarorumq, Virorum doctōrinā
 atq, authoritate plenam, ad finem studia mea perducere consti-
 tuens me contuli. Ut vero precibus laboribusq, hactenus meis me
 haud ἀπὸρ ἐκ καρῶν ἀκρότιον τετέας γηκέναι σιζῶν. Inanes exuffisse
 culmos sed ad illud me anhelasse videatis, ad quod me omnes boni
 tendere desiderant. Quare exiguo aliquo ex signo ut profectum
 hunc cognoscere possitis meum, tum ex auscultatione lectionum à
 Viris Clariffimis ac Doctiffimis publicè prælectarum tum lectione
 etiam atq, meditatione privatā quale quaecunq, exercitium res
 quasdam, sub se complectens Philosophicas conscribere: conscri-
 ptas censura Clariffimi & Experientiffimi Domini M. MARCI
 FLORI Eloquentia Professoris longè digniffimi Præceptoris &
 Fautoris mei aviternum colendi subijcere: subiectas ad patrios
 transferre laudes institui. Vobis itaque Patronis ac Promotoribus
 optatiffimis, vobis inquam exercitium hocce Oratorium exiguo
 stylo contextum offero spe fretus ea fore, ut si id favoris Vestri,
 consilij & auxiliij fronte probaveritis sereno, me id majori cum
 diligentia atq, assiduitate assequi Videatis. Quod vero ut vobis
 delectamento mihiq, usui & commodo esse queat, ab eo votis meis
 à quo omne bonum donum, omneq, munus perfectum ortum atq,
 incrementum suum trahit contendo. Valetē & sperate, Ego spem
 in rem, dum spiro summo duce deducere conabor.*

V. subiect: Obedient. & observant:

BARTHOLOMÆVS GRENSNERVS
 Filcensis H. Ph. Studios:

AD

A D
**NOBILISSIMOS, NO-
 BILISSIMI FLORENTISSIMIQUE**
 HUNGARIÆ SUPERIORIS GYMNASII
 STUDIOFOS, VIRTUTE, DOCTRINA,
 INGENIO PRÆDITOS.

Proæmium.



Qum omnes studiosi doctiffimi, Adolescentes, Virtute, ingenio, doctōrinā perspicui. Cum omnes inquam ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, trahimur & ducimur: in qua excellere pulcrum putamus: labi autem & errare, nescire, & decipi, & malum & turpe ducimus. Unde haud impudenter Tullium illum Romanæ linguæ parentem de hac re, *lib. 1. Off.*

sensisse videmus ubi inquit. Tantus est innatus in nobis cognitionis amor & scientiæ, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur: Et Philosophus ille Philosophorum omnium maximus Aristoteles inquit, *παιδες ἀνδραποὶ τὸ εἶδέναι ὁ βέλτοισι φέρεται, σιμείον δ' ἢ τῶν αἰδησίαν ἀγαπητοῦ καὶ γὰρ χερὶς τῆς χεῖρας ἀγαπῶνται δι' ἑαυτὰς.* Tum aliquid videre, audire, discere: cum sumus necessarijs negotijs curisque vacui avemus: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad benè beatèque vivendum necessariam ducimus: ut solertiffimus ille Comædiarum scriptor Terentius testatur: cum inquit.

*Quod pleriq, omnes faciunt Adolescentuli
 Ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos
 Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philof:*

Quare recto & iusto majores nostri ordine Academias peregrinis in locis instituere, institutas Clarorum virorum, doctōrinā & authoritate exornare, censuerunt; ut ad confirmandam scientiæ & cognitionis cupiditatem iuventus illa cupida ceu ad Lydium concurreret lapidem, in eisque tantum studiorum facere progressum quo non solum sibi, verum.

A 3

rum.

rum etiam alijs ex omni paupertate & periculo juvare & prodesse queat, quam spem Versus etiam hi:

— *Semper doctrina diuq,
Non patitur miseris urgeri casibus: affert
Naufragio tabulam qua tuti littora possunt,
Spumosos inter fluctus affingere nando*

affirmant. Hæc ego ratione quadam omnia perpendens (Anno qui erat 1615, jam κεχαελο μέμνη δὲ δὲ confecto, quo à patriæ loco pedes remove-remotos ad eum locum quo in nunc aura vascor transponere proposuerim, propositum hoc meum in effectum immenso, imò periculoso itineris spacio deduxerim) in animo meo ullam honestam rem actionemve aut non suscipere, aut susceptam deponere haud consentaneum esse statui: & maximè propterea cum sine studio & ardore quodam amoris in vita nihil quicquam sit egregium: in ijs itaque quibus ἐκ παιδείας μικρὸν τὸν domesticis exitatus exemplis tùm impellente natura incubui ἀνδραγαθίας καὶ ἀκμῆς in ejusdem muneris procuratione placidè atque tranquillè pergere, eaque in isto ætatis flore exigere constitui juxta Tibulli, Poëtæ elegantissimi adhortationem.

Eleg. 5.
lib. 1.

*At tu dum primi floret tibi temporis ætas
Utere, non tardo labitur illa pede,*

& his quoque præclare consiliùm adhibet Claudianus Poëtarum omnium maximus qui inquit.

4. Hon:
Conf.

*Interea Musis animus dum mollior instet,
Et qua mox imitere legas nec desinat unquam
Tecum grata loqui tecum Romana vetustas.*

Quorum etiam Marcelli Palingeni, Philosophi & Poëtæ præstantissimi adjicitur admonitio quæ non rejectu sed multo magis notatu digna est qui ait.

*Attamen interea sapientum incumbere libris
Est operæ pretium & rerum perquirere causas:*

His fidelissimis admonitionibus & adhortationibus conatus meos omnes quos hæctenus subjeci semper & donec mihi his in terris aura vasci contigerit subijcere volo.

2. de Orat.

Diligentia enim in omnibus rebus plurimum valet quæ præcipuè colenda est nobis, quæ semper adhibenda, quæ nihil est quod non assequatur qua una virtute omnes reliquæ continentur virtutes teste Cicerone qui inquit Parum valet doctrina nisi industria studio labore diligentia comprobetur, Hinc Poëta inquit:

1. 3. ad
Heren:

Si

Si paulum paulo addideris pergat, frequenter

Hoc face & exurget magnus tibi forsitan acervus.

Eam igitur quæ jam approbata est doctrinam & quæ mihi aliquando tùm privatim tùm publicè & utilitatis & dignitatis plurimum allatura sit summo cum conatu summaque cum industria assequi studebo.

Cum verò Studiosi Ornatissimi ego his peregrinis in locis à patriâ sedè longè remotis tantò flagrans amore & desiderio non tantum mea verum etiam vestra quæsitans petâ: Et eo semper animo fui & sum ut de utilitate vestra non minus sæpè quam de mea cogitaverim: ut nunquam rationes meas quæ exiguitati student vestris ante posuerim ut semper eam familiaritatem & amicitiam tenere studuerim non (ut dicitur in proverbio ἢ χήτρα καὶ ἢ φίλια vel πολλοὶ τραπέζης ἢ ἀληθείας φίλοι) eam quæ χήτρας φίλια vocatur vel quæ nummis aut muneribus comparatur juxta Poëtæ:

— *nummos & munera cunctis*

*Affectant, donis multi acquiruntur amici,
non eam quam describit Ovidius:*

li. Trist.

*Donec eris felix multos numerabis amicos
Tempora si fuerint nubila solus eris,
vel*

*Dum mea puppis erat valida fundata carina
Qui mecum velles currere primus eras.
Nunc quia contraxit vultum fortuna recedens
Auxilio postquam scis opus esse tuo.*

Sed eam quæ in adversis amicum solatur rebus, eius firmat atque erigit animum: prodesse ei laborat: quam pulcerrimè his versibus Poëta: comprehendit inquit:

*Rebus in adversis, magnum munimen amici
Solantur, firmant animum prodesse laborant:
Quæq; valent miseris curas & damna levare
Conantur, tecumq; dolent, tecumq; querantur.*

Etsi non actione propter loci distantiam: ita tamen affectus sum, ut me videatis amicè agere: Nam loca non dissolunt amicitiam, sed actionem teste Aristotele οἱ κελευτοὶ ἢ κεχρησμένοι τοῖς τόποις ἐκ ἐνεργησι μὲν ἔτιω li. 8. Ethic. δι' ἐχρησιν, ὡς τε ἐνεργεῖν φιλικῶς οἱ γὰρ τόποι ἐ' διαλύσι τῶν φίλων ἀπλῶς ἀλλὰ τῶν ἐνεργησιων. Quidam dormientes, vel locis sejuncti sunt non actione quidem, ita tamen affectu sunt, ut amice agant: Nam loca non dissolunt amicitiam.

amicitiam simpliciter ea actionem. Cum contrariam Aristotelem hoc
in loco mihi videatur addi dictionem ubi inquit: *εάν δε χρόνους ή απυσία*
ζήντων και της φιλίας δοκεί λήθην ποιήν οδεν είρη,

Πολλας δη φιλίας αποροση γρεια δέλυσεν

Si vero diuturna absentia fuerit: amicitia quoque videtur oblivionem
inducere unde dictum est.

Tollit amicitias multas affatus ademptus,

& alibi

Sape perisse amor est per longa silentia visus.

priori tamen modo intelligendum esse censeo. Ex hac jam indicata cor-
dis mei affectione erga vos: ut studij mei hactenus absoluti non majore
quodam numinis afflatu percussus, sed studij quodam Philosophici inci-
tamento coactus specimen quoddam ederem prætermittere haud potui.
Cum id non solum amor ille meus jam sat explicatus quo erga vos affi-
cior exigit, verum etiam laus literarum necessitasq; postulet maxima.
Magna namq; vis, magnumq; positum est momentum in litteris, tam ad
retinendas civitates, quam ad earum omnibus bonis cumulandas. Fœli-
citas enim publica ad quam humana omnia transferuntur, cum è singu-
lorum civium fœlicitate constet: singulorum vero fœlicitas in excolen-
da exercendaq; virtute præcipuè sita sit, & literæ necessariam quandam
procurtionem ad perfectam virtutem consequendam adhibeant: illud
perfecto consequitur, ut nisi, in qua literarum cultura vigeat, florere ab-
solute civitas nulla possit. Huius rei ut exhibeatur veritas: Ante oculos
vobis ponite omnes ætatis humanæ partes: omnes instituendæ vitæ con-
ditiones: & vias animo cogitatio neq; percurrere: nullam omnino quæ
ita literarum adjumento indigeat, invenietis, ut, eas si quis surripuerit
ipsum Solis splendorem de re caduca surripuisse videatur: hæ enim non
tantum benevivendi verum etiam benedicendi commonstrant vias: non
modo in animis nostris igniculos excitant gloriæ, verum quantum sit in
virtute splendor: quanta in vitij deformitas edocent: Et quod majus
est non solum Adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res
ornant, adversis solatium præbent, verum etiam delectant domi, non
impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur, ut
Cicero eloquentiæ Romanæ Parens testatur cum inquit: Studijs ac li-
teris res secundæ ornantur adversæ adjuvantur. Nam certe civem egre-
gium nullum posse fieri, qui non sit ijs eloquentiæ artibus & disciplinis
bonis eruditus, experientia quotidiana quoque testis est. Ut autem in

Pro Arch:
Poët: Cic:

sement e

semente posita spes messis est, ita totius vitæ reliquæ expectatio ab
educatione pueritiæ pendet: haud itaque pertimescendum est, ne aut
labore frangantur aut voluptatis irretiantur illecebris ij qui ætatis suæ
florem literarum studijs dedicandum esse statuerunt. Tanta si quidem
est recreatio paulatim cognitione rerum sese pascentis animi acquirenda,
ut ea qui fruuntur ab his neque laboris tædium: neque avocantium vo-
luptatum blanditiæ sentiantur: eius ut quisque percepit plurimum, ita
eam actius atque avidius concupiscit. Prodeat quod si forte cui dubium
est in medium Chrysippus, qui sæpe studio imbutus, tanta perfruebatur
voluptate, ut eum cibi potionisque caperet oblivio. Prodeat Syracu-
sanus ille Archimedes: non orbium cœlestium scrutator tantum soler-
tissimus. Verum imitator etiam optimus, qui non modò earum rerum, *Muretus*
quas natura ferè per ea quæ capiebat studij oblectatione memor nõ erat: *in Orat. 2.*
sed in illa ipsa Syracusanæ diva statione ita defixus erat studio prius ut ho- *fol. 20.*
stilis gladij cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostium pote-
statem venisse sentiret. Unde id & Cicero affirmat cum inquit: Multi *lib. 5. de*
cum in potestate essent hostium ac Tyrannorum, multi cum in custodia, *finibus.*
multi in exilio dolorem suum doctrinæ studijs levarunt: O rem auditu
jucundissimam omniumq; seculorum admiratione dignissimam. O fa-
ctum jucundum: O præclarum: Divastata urbs ea tempestate omni nõ
nobilissima fuisset nisi vir hic qui spheram vitæam cœli motus imitantem *lib. 5. de*
confecerat huic importunio restitisset. At quid multis. Inspiciamus *finibus.*
pueros qui nec verberibus quidem à contemplandis rebus, perquiren-
disque deterreantur, sed aut pulsi requirant & aliquid se scire gaudeant,
ut alijs narrare gestiant? Quid vero qui ingenuis studijs atque artibus
ita delectantur, ut nec valetudinis nec rei familiaris habeant rationem:
omniaque perpeti ipsa cognitione & scientia captos, cum maximis curis,
& cum laboribus compensare eam quam ediscendo capiunt voluptatem. *fol. 21.*
His adjiciendo ponamus nobis ob oculos aviditatem Solonis Philoso-
phiam è cœlo vocantis & in domus introducentis maximam. Hic namq;
cum in stramentis morti jam vitæ propinquior decumberet, assidentesq;
de re quapiam amicos submissa disputantes voce, ne ipsi molestiam pare-
rent audisset, semi mortuus tamen, erecto rogavit eos capite, ut in lo-
quendo sonum aliquanto protusorem ederent: sibi hac ratione, si etiam
discessum ex ephebis aliquid discere potuisset, moriens jucundum testari
voluit. O discendi cupiditas? O animi insagacitas? quid non genera-
te semel ingenia occupante extruis. Sapientissimus hic homo acerbissi-

B

mavi

maui morbi defixus in leculo tenebatur: affinitate jam mortis, ab omni-
bus fere partibus corporis sensus discesserat, ex politus ille animus, mox
liber ac solutus futurus e corporis vinculis evadere cupiebat: cum quic-
quid superaret virium eo contulit, ut deficiente lingua, vocibusque in-
terruptis, ac morientibus, suam doctrinae cognitionisque desiderium
judicaret, & hac conditione mori quidem nisi discendo voluerit. Tam
diu igitur merito Respublica Atheniensium floruit quamdiu tam praec-
lari atque egregij Viri tenuit disciplinam. Sed ut eo revertar unde me
facta praestantissimorum atque excellentissimorum Virorum paulisper
abduxit mentio. Effari non potest Adolescentes Nobilissimi (Vos enim
vos compellatur est Oratio mea) effari (inquam) non potest ea studia
quibus nunc toto pectore invigilatis, quanto olim vobis ornamento &
adjumento futura sint, cum vos & generis vestri nobilitas, & vestra vir-
tus ad Reipub: gubernacula adduxerit: Cum vero ea omnia de quibus
jam dictum est e Philosophia ceu ex vivo hauriuntur & effluuntur fonte
approbante Cicerone qui ait. Est laudatarum omnium rerum procrea-
trix, & quasi parens ea quam Philosophiam Graeci vocant. De hac jam
sermonem quandam juxta ingenij mei tenuitatem instituire, eamque
vobis Adolescentes Nobilissimi ad quoddam studij Philosophici excita-
mentum proponere, atque praescribere in animo meo mihi proposui.
Antequam vero id facturus vos prius etiam atque etiam rogatos volo ut
si forte minus ex parte a me ac copiose dictum fuerit, quam forsan vestro-
rum ingeniorum dignitas, summa tum experientia postulabat, meum
tamen qualecunque id fuerit placendi vobis studium Philosophicum ne
improbetis, ut & me haud *τὸν κριτὸν ἐκ τῆς ἑξουσίας ἐπινοῦν ὁτι βέλτερον* panem in frigi-
dum immittere furnum confido. Si itaque non indignus a vobis
tanquam a paribus meis dilectissimis iudicet, erit quod
mihi magnopere gratuler. Valete & studio hoc
meo Philosophico favete:

ORA-

ORATIO.

DE PHILOSOPHIA EIUSQUE UTILITATE ET NECESSITATE



Aud minus eleganter, Illustres, Generosi,
D. D. Comites, atq; Barones, Magnifice Dn. Rector,
Spectabilis Dn. Decane, Reverendi, Nobilissimi, Cla-
rissimi Viri, Assessores conventus Academici dignis-
simi, Vosq; ceteri & generis nobilitate, & doctrina,
& virtute praestantes auditores: Haud minus (inquam)
eleganter quam verè Philosophus ille acutissimus
Plato, tum alibi tum in Cratylo proverbij loco posuit: Veteri inquit
fertur proverbio *δυσκολα τὰ καλὰ* pulchra esse cognitu difficilia: & quod
etiam Cicero Oratorum omnium princeps affirmat cum inquit. Quod
praclarum, idem arduum, & alibi, Quod quid difficilius hoc praclarus.
Difficile itaque cum & a me suscepisse munus, tum propter materiam de
qua, tum propter locum in quo dicturus sum pateat: Magnum namque
onus est atque munus suscipere ac profiteri sese omnibus silentibus,
unum, maximis de rebus, magno in hominum audientium conventu.
Adest enim ferè nemo quin acutius atque acrius vitia, in dicente quam
recta videat. Ita quicquid est in quo offenditur id etiam illa quae laudan-
da sunt obruit: & quoties dicimus de nobis iudicatur: approbante Cice-
rone qui inquit: Nihil est tam insigne nec tam ad diuturnitatis memo-
riam stabile quam ut in quo aliquid offenderis. Propter praestantissi-
mam tamen atq; pulcherrimam huius Orationis constitutæ materiam,
de qua, imo & propter loci amplissimi frequentiam, assiduitatem, & ju-
cunditatem, in quo dicturus sum (cum levitatem mihi quandam atque
utilitatem exhibeat) tradere negligentiae haud nolui; perpendens illud
quod in Epistola Ciceronis extat, ut neq; privatim facile est omnia rectè
agere, sic neque publicè, sed tamen res maximas negligere non oportet.

Hodierno itaque die Auditores praestantissimi, eam mihi ad di-
cendum materiam sumere, & nobilissimam studiorum procreatricem,
quantum in me positum erit, quantamque ingenium meum mihi præ-
buerit facultatem, verbis declarare, atque exponere constitui: & qui-
dem me aut huic tempore, aut omni meo muneri aliquid facere haud

B 2

convenien-

ad. 16.

N
de Orat.

3. Tusca

1. Offic:

1. de nat:

Deor:

1. de Orat:

24.

convenientius posse existimavi, quam ut, quæ mihi studia celebritatis aliquid cum alijs in locis, tum hac ipsa in civitate peperunt; à quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulam cunq̄e profluxi studiorum experientiam, ijs quoque vicissim oratione mea splendoris, ac claritatis, afferre aliquid coner; Præsertim cum multi qui hoc literarum genus summo cum conatu summaque cum industria amplectantur adsint, sed quoniam mihi coram illis qui auctoritate doctrinâ atq; virtute vigent est agendum: ut ad sitis animis, mihiq; breviter enarranti, non quidem. An sit Philosophia? cum Philosophiam & Philosophos esse adeo pateat, ut lippis & tonforibus etiam notum sit: Sed quid Philosophia, quam utilis? & quam necessaria sit? quantosque ex eius nativitate atque industria Respub: percipiat fructus? non aures modò sed mentes quoq; attentas paulisper adhibeatis, ac mihi propter quod haud eleganter dicturus sum ne reclametis, & obstrepatis, sed ubi audiveritis non mihi, sed ingenij mei tenuitati, ut adscribatis, quæso.

Cum admiratione quadam Auditores præstantissimi ad Philosophandum excitamur, & principio quidem faciles miramur quæstiones, facto vero in hisce sensim & pedetatim progressu, majores etiam quæreatque investigare res cogitamus: teste Philosopho omnium maximo qui inquit: Δια τὸ τὸ δαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ παλαιὸν ἡξάντο φιλοσοφῆν ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ παλαιὰ τῶν ἀπορῶν δαυμάσαντες εἶτα καὶ μικρὸν ἔτιω παλαιότες καὶ πρὸς τὴν μείζονα διαπορήσαντες. Propter admirationem enim & nunc & primo incæperunt homines philosophari: à principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant: deinde paulatim ulterius procedentes, etiam de majoribus dubitando. Quæ cum ita sint & nos perceptis cogitatione facilioribus, ad majora progredi constituimus. Imus plenum nunc itaque pedem ad eam, quæ Virgo vocatur castissima, facultatem, unde progrediatur, quo pacto ornata atque dotata sit; quam denique varia humano generi σύμφεροντα καὶ κόσμος commoda atq; ornamenta afferat visuri, vicem interim eius, quod tantum virtutis ac sapientia divinitus in homine accensæ igniculum: quantum post funestam illam primorum parentum ruinam superfuit, dolentes, excitare atque fovere conetur: Etsi quo fato illa remissiora trahatur hominum studia nescimus, talia tamen tractare quæ minus iniquiori iudicio ferenda sunt scimus, Non enim sub se convitiolorum manipulos aut fasciculos comprehendit: sed plaustra quæ certatim in remitam sarctam, salutarem, præciosam conijciuntur, introducitur: Non tradit spinosa, supervacanea, in utilia,

lib. Me-
vaph. 1.
cap. 2.

inutilia, ut opinio est vulgi, qui cultores Philosophiæ tradere spinosa, supervacanea, difficilia, nihil ad salutem conferre, ad societatem civilem sibi solis videre: aliud provideri lingua, aliud vita factisque exprimere, existimant. Verum quemadmodum fluctus ingens saxum in sese insilientes, frangit, & non læditur: Ita illæsa, inviolataque illa manet, ut maledicta ejuscemodi ceu norma veritatis, regulaq; eximari possint. Neq; enim philosophum, ut paucis aliquid indicemus, asperum & intantum caput facit: non barba negligentior: non indictum argenti odium: & quicquid aliud ejuscemodi, sed id potius Philosophia sese ostensuram promittit. Hæc enim nos primum, ad Dei cultum, tum ad modestiam, magnitudinemq; animi erudit, eademque ab animo, tanquã ab oculis caliginem discutit, ut omnia supera, infera, prima ultima media videre possimus. Hæc mater est omnium benè factorum beneq; dictorum: Hæc medicina est quæ medetur animis sollicitudines detrahit cupiditatibus liberat: Quare nunquam satis digne poterit laudari philosophia, nullum enim bonum philosophia optabilius; nullum præstantius: nullum suavius: atq; dulcius: datum est humano generi à Deo neq; dabitur. Huic igitur si quis pariat, omne tempus ætatis possit sine molestia degere, unde etiam radicem omnium malorum stirpitus teste Cicerone se extracturam pollicetur. Demus ergo huic & nos excolendos, patiamurque nos sanari ab ea, si boni & beati volumus esse omnia adjumenta & auxilia petamus benè beateq; vivendi. Utinam verò Auditores præstantissimi, ut universa mundi facies in conspectu venit, ita philosophia tota nobis posset occurrere, quasi similitimum mundi spectaculum, profectò non omnes mortales in admirationem sui raperet. & relictis his, quæ nunc magna magnorum ignorantia credimus: sed quia contingere hoc non potest. ceu ædificium externe aliquod perlustratur, sic à nobis perlustranda atque aspicienda erit.

Offert sese autem hic nobis nomen primò, idq; duplex antiquius & recentius. Antiquius tam Philosophiæ quam Philosophorum: Philosophorum quod attinet vocabulum olim eos, qui aliqua doctrinâ & cognitione rerum excelebant, σοφῶς sapientes dictos & habitos fuisse, eorumq; scientiam σοφίαν sapientiam fuisse nominatam perspicuum est: tum ex verbis M. Tullij scriptis, Omnes qui in rerum contemplatione studia ponebant sapientes & nominabantur & habebantur, tum ex verbis Afranij qui hoc disticho

Wis me genuit, mater me peperit, memoria

Σοφίαν me Gray vocant, vos Sapientiam.

B 3

Sen. epist.
9. ad Luci.

1. Tusc.

Cat. M.

4. Tusc.

Sen. 89.
Epist.

1. 5. Tusc.
f. 229. t.

σοφία Sipientium nominatam fuisse confirmant. Quam præclara autem res sit Sipientia, tum divina, tum humana satis demonstrant testimonia. *proverb. 3. v. 13.* Inspiciamus quæso castissimæ virginis huius laudem, quem Rex ille Salomon sapientissimus profert, cum canit, Beatus homo qui invenit sapientiam & qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi, fructus eius: præciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. *in Hip. mai. f. 351.* Inspiciamus Platonis philosophi acutissimi, cum inquit, τὴν σοφίαν πάντων καλλίστην τὴν δὲ ἀμαθίαν πάντων ἀίχιστον, Sipientiam pulcherrimum omnium rerum & insipientiam contra turpissimam: Et alibi σοφίαν ἀρετῆς τὸ μέγιστον μέρος εἶναι, Sipientiam universæ virtutis maximam partem esse scribit. *in admon. ad Demonic.* Proponamus nobis ob oculos Isocratis qui τὴν σοφίαν μόνην τῶν ἀθλιμάτων ἀθάνατον, Sipientiam ex omnibus possessionibus solam immortalē esse testatur. Quare cum res adeo præclara sit sapientia omnibus temporibus præclarissima: & apud diversas gentes diversa fuisse nomina, quis negabit? Nonne qui in calida versantes regione, nudi, sub dio rerum contemplationi & investigationi, operam dabant, apud Indos Gymnosophistæ vocati fuerunt: Nonne qui diligenti inquisitioni tum aliarum rerum tum cælestis motus addicti erant, apud Chaldeos Magi nominabantur: Nonne qui scientiam sibi eximiam comparabant, & ad publicam referebant utilitatem apud Ægyptios Sacerdotes nuncupabantur: Nonne qui in Sylvis & apud quercus à strepitu hominum remoti considerationi rerum intenti erant, apud Gallos, Druides vocabantur: Nonne denique qui optimam sui partem & mentem non deteriorē & corpus exornabant apud Græcos σοφοὶ Sipientes & ob solitariā vitā quasi σοφοὶ dicebantur: Et quid Solon Atheniensis? Quid Tales Milesi? Quid Chilon Lacædemonius? Quid Bias Prienensis? Quid Pittacus Mythileneus? Quid Cleobolus Lyndius ex Rhodo? Quid Periander Corinthius? Nonne his sapientis daretur cognomen omnibus. Et si græcorum ob amorem quo sapientiam colere omnem eamque alijs communicare sapientia & literarum studio præ cæteris omnibus gentibus commendatum & conservatum fuit: Imò licet multi eruditi & sapientes viri singulis in Græcia temporibus fuerunt, hi tamen septem præ alijs digni semper & omni tempore fuerunt habiti. Hoc autem sapientis, & sapientie, cognomen, ad Pythagoræ Samij ætatem, qui Primus se φιλόσοφον sapientie studiosum nominavit manasse tantum, clarissimi scriptores testantur. Cuius rei imprimis nobis exhibet testimonium Clarissimus

simus Vir Cicero, omnium Oratorum princeps: qui inquit: Sipientium nomen usque ad Pythagoræ manavit ætatem: quem ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, Vir doctus imprimis Phliunthens, urbem Achaie ferunt venisse, eumque cum Leonte pincipe Phliasiorum doctē & copiosē disseruisse quædam: Cujus ingenium & eloquentiam cum admiratus Leon, quæsi visse ex eo, qua maximē arte confideret. At illum artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum, admiratum Leontem novitatem nominis, quæsi visse quinam essent philosophi, & quid inter eos & reliquos interesset, Pythagoram autem respondisse, similem sibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatus totius græciæ celebritate &c: Videmus etiam consentire cum Ciceronis loco Diogenem Laertium qui scribit φιλοσοφίαν πρῶτος διόμασε πηδύρορας καὶ ἑαυτὸν φιλόσοφον ἐν Σικύωνι διαλεχόμενος λέγει τῷ Σικυωνίῳ Τυρράνῳ ἢ Φλιασίῳ κατὰ φῆσιν ἠερακλείδης ὀπώνικος ἐν τηρεὶ τῆς ἀπνῆς, Philosophiam Pythagoras primum appellavit seq; philosophum, Cum Sicyone conveniret Leontē Sicyoniorū Tyrannū sive Phliasiō: ut ait Heraclides Ponticus in libro quē περὶ τῆς ἀπνῆς inscribere solet & Σωσικρατῆν ἐν διαδοχαῖς οἰρήσει πηδύρορα ἐραδιθευῖα ἰπὸ λέοντος τῷ φλιασίῳ τυράνῳ τῆς εἰσι φιλόσοφος εἶπεν, Sipientem in successionebus qui ait Pythagorā rogatum à Leonre Phliasiōrum Tyranno quisnam esset dixisse Philosophus. Pythagoram itaque virum eximie doctum, inventorem, & authorem nominis Philosophiæ, & Philosophi, fuisse ex his omnibus jam dictis perspicuum est. Quare recto & justo ordine perpendens præceptum illud Aristotelis philosophi maximi, ταῖς ὀνομασίαις τὰ πρῶτα πρῶτος ἔθετο, καὶ δάπερ οἱ πολλοὶ cum vulgo sit loquendū, sentiendum autem cum doctis & peritis, vulgatum & antiquum sapientis nomen immutavit, teste Laertio? & Aristotele: Modestus enim hic vitiumque sibi tribuens, nec tamen & debilitum honorem repudiens, existimavit, nomen sapientis esse nimis splendidum, ac magnificum, propterea quod absoluta, & perfecta omnium rerum cognitio, quæ proprie Sipientia dici meretur in hominem cadere non posset: Ideoque δια τὸ μηδὲνα εἶναι σοφὸν ἀνδραππον ἀλλ' ἡθεὸν, quoniam nullus hominum sed solus verus Deus est sapiens, solum Deum esse σοφὸν sapientē, homines autē φιλόσοφος, sapientie studiosos, & amatores esse nominandos statuit. Cujus sententiam quoque Plato Philosophus ille acutissimus approbat inquis, τὸ μὲν σοφὸν καλεῖν, ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ, καὶ θεῶν μόνον πρέπειν, τὸ δὲ ἡ φιλόσοφον ἢ τῶτον μαλλόντε ἀνὰ τὰ καὶ ἀρματαί, καὶ ἐμμελεστέρως ἔχει. Sipientis cognomen magnum solique Deo convenire videtur, Philosophi

l. 5. Top.
l. 1. de vitio philosoph.
l. 8. in vita Pythag. fol. 311.
l. 2. Topic. c. 2. l. 5.
in præm. l. 5. l. 4. Ethic. ad Nicoma. c. 4.

Philosophi verò aut similis alicujus cognomine convenientius, modestiusq; quispiam nuncupatur. *Φιλοσοφία* itaque scientiam esse rerum tam divinarum, quam humanarum, causarumque, quibus hæc res continentur sufficientem & perfectam. Et Philosophum qui studet omnium rerum divinarum atq; humanarum naturas, causasq; cognoscere, omnemque bene vivendi rationem tenere, & persequi, & eum ab amore sive studio nomen habere, teste Platone cum ait τὸν φιλόσοφον σοφίας φήσομεν *pub. fo. 423. ἐπιθυμήσθαι εἶναι, ἢ τῆς μὲν τῆς δὲ ἢ ἀλλὰ πάσις*, Philosophum sapientiæ studiosum esse dicimus, non hujus, quidem, illius non: sed omnis potius sapientiæ. Et Cicero eloquentiæ Romanæ parens inquit sapientiam qui expetunt Philosophi nominantur: nec quicquam aliud est philosophia quam studiū sapientiæ, Et si juxta Aristotele quoq; *φιλοσοφία εἶναι ἐπιθυμήσθαι τῆς σοφίας καὶ ὅλων καὶ ἢ καὶ μέρος*, Philosophiam scientiam esse eius quatenus est ingenere, & universo, non autem in parte constat: tamen illud liquido ut opinor constaret; quanto æterna nativis; immortalia caducis; divina humanis antecellunt, tanto esse hanc facultatē cæteris omnibus sub hac comprehensis ante ponendam. Sed quemadmodum qui præclari alicujus ædificij pulchritudinem, pervidere ac penitus cognoscere cupiunt, non satis sibi esse illud ducunt, uno totū conspectu contemplari, sed singulas etiam sibi partes accurate perlustrandas ac seorsim considerandas putant: Itanos si hujus præstantissimæ facultatis partes paulisper excutere voluerimus tum demum quanta illius pulchritudo sit? & qualis intelligemus? Unde rectè adjicitur ut philosophi cognitio à plebeiorū hominum noticia discriminetur: qui quidem scientiam τῆς σοφίας, habent & res ipsas noscunt τῆς σοφίας, autem scientia carent, & causas rerum ignorant, quas sola philosophia patefacit. Philosophia igitur Auditores præstantissimi ut à majoribus nostris accepimus, duabus præcipuè divisionibus continetur: quarum una in Peripateticis & Græcis posita est; Altera in Stoicis & Cicero. Peripateticorum quod attinet Philosophiā induas dividi volunt partes quarum prima *θεωρητικὴ* contemplativa dicitur, & est quæ versatur circa rerum contemplationem ejusque finis est ἡ ἀληθεῖα veritas, quia in ejus contemplatione & cognitione acquiescit, rursus autem hæc in tres dividitur partes; quarum una *μεταφυσικὴ* alio nomine *θεολογικὴ* dicitur: quia considerat res ab omni materia abstractas, quæ vocantur *ἀπὸ κῶς ὄντα*, item *ἀυτὰ* immateria & *νοητὰ* quia sola mente intelliguntur; Altera *φυσικὴ* dicitur, quia considerat res corporeas cum materia conjunctas, & vocantur *τὰ ἐν περιόδῳ ὄντα* entia quæ

Definitio
Philosophia.

Definitio
Philosophi.

l. 10. Metaphys.

Divisio
Philosophia.

quæ sunt cum materia conjuncta, item in materia existens, & in sensibilia. Tertia *μαθηματικὴ* nominatur, quia considerat res quæ sunt mediæ naturæ, id est partim in materia sensibus subjunctæ; partim à materia separata, & nominantur *τὰ ἐξ ἀραιρέσεως ὄντα* quæ à materia possunt separari: sub qua artes continentur quatuor: quæ Mathematicæ nominantur: nempe Arithmetica; quæ versatur circa numeros: Geometria; quæ metitur magnitudines: Musica: quæ discernit sonos & harmoniam vocum: Astronomia, quæ considerat corpora cœlestia: Altera verò pars peripateticæ divisionis est *πρακτικὴ*, Activa, & est quæ tota refertur ad actionem, cujus Finis τὸ ἀγαθόν bonum quod agendo acquiritur: Homines enim propter duos præcipuè fines conditi sunt, ad veritatis cognitionem & ejus actionem, quod est honestum teste Cicero: qui inquit. Quemadmodum ad cursum equus ad arandum bos ad indagandum cal. 2. de finib. nis: Sic Homo ad duas res ad intelligentiam & agendum est natus. Hinc Comædiarum scriptor Terentius ait.

Quod pleriq; omnes faciunt adolescentuli,
Ut animum ad aliquod studium adjungant aut equos
Alere, aut canes ad venandum aut ad Philosophos.

Quare & huic subdivisionem quandam addere placuit: Dividitur enim & hæc in Tres species, quarum prima *ἠθικὴ* dicitur, quia singulorum hominum informat mores & virum efficere bonum conatur: Altera *πολιτικὴ* dicitur, quia rationem administrandæ Reipub. rectam tradit, & civem efficere bonum conatur: Tertia *οἰκονομικὴ* dicitur, quæ quo pacto domus & Res familiaris administranda sit instituit, & conatur efficere bonum patrem familias, ad quam Practicam quoq; Philosophiam doctrina de moribus pertinet, & idèd vocatur practica; quia ejus præcepta ad usum & actionem sunt transferenda. Discendam itaq; non idèd tantum hanc doctrinam esse, ut sciamus quid sit virtus? Sed ut secundum virtutem vivamus, & agamus, perspicuum est. Jam Stoicorum quod attinet divisionem illam in Tres partes deduci in *φυσικὴν* naturæ obscuritatem, *λογικὴν* differendi subtilitatem, in *ἠθικὴν* vitam atq; mores, teste Diogene Laertio: qui eam his verbis explicat, *μέρη δὲ φιλοσοφίας τρία, φυσικόν, ἠθικόν, διαλεκτικόν. φυσικόν μὲν τὸ περὶ κόσμου, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ, ἠθικόν δὲ τὸ περὶ βίης, καὶ τῶν ἄρδς ἡμῶς. Διαλεκτικόν δὲ τὸ ἀποδείξαι τῆ λογικῆς ἀρεσβέουσαν.* Dividitur Philosophia in partes Tres: Physicam, Ethicam & Dialecticam, Physicæ proprium est de mundo & ijs quæ sunt in mundo differere; Ethicæ verò de vita moribusq; tractare; Porro dialecticæ ambarum partium rationes afferre. Et Cicero qui inquit Philosophia in Tres partes est distribu-

C

ra in

ta, in naturæ obcuritatem, in differendi subtiliorem, in vitam atq; mo-
res. Etsi Triparrita hæc Stoicorum & Ciceronis divisio cum præcedenti
non pugnet; tantum tamen est discriminis, quod Stoici Logicam Philo-
sophiæ partem constituerunt, quam Peripatetici instrumentum saltem
& non partem esse voluerunt, per quod verum à falso, bonum à malo,
discernitur: & sensa animi ratione explicantur, & tantum de quæstione
QUALIS sit, Jam quæstionem etiam cur sit aggredimur.

Orta igitur est Philosophia statim cum ipso homine ὁνομασία μὲν δὲ δαί-
κ' ἐστὶν πᾶσι ἀνθρώποις non cuiuslibet est, ut Plato testatur: ἐστὶ τῶν ἐπιτηδεύων
neq; vulgarium hominum: sed φρονιματώτερον καὶ τῶν ἐπιστημῶν καὶ γινωσκόντων
τὰ ἀσπασίματα οἷς ἐδίδασκον prudentorum, & eorum qui naturam rerum illa-
rum, quibus nomina imponunt cognitam habent. Adamus autem om-
nibus rebus nomina dedit, quæ à Deo ipso approbata & relicta fue-
runt: Sapientissimum itaq; & summum Philosophum fuisse necesse est:
Etsi inobedientia sua summum illum sapientiæ gradum destruxerit: non-
dum tamen Philosophari desijt, sed & liberos ac posteros etiam suos in
Philosophia instituit, ut Iosephus testatur: nec tamen & pia tantum Ada-
mi posteritas Philosophata est. Sed impij etiam Caini nepotes Philoso-
phiam non neglexerunt: quamvis non liberalibus præcipue studijs &
animi culturæ se dederunt, sed violentiæ inservirent, & avaritiæ, & li-
bidinibus præcipue indagarunt, Ideoq; metallorum vires inquisiverunt
& Musicam instrumentalem excogitarunt, & varia ciborum genera co-
quinaria arte pararunt, ut sacræ testantur literæ. Nec in secunda mun-
di ætate post generale diluvium Philosophiæ exercitatio desijt; Sed Deus
ipse Noahæ cælestium rerum contemplationis occasionem dedit, arcu
cælestis signo fœderis effecto, de non perdenda terra per universale di-
luvium. Quare ex his omnibus luce meridiana clarius est authorem Phi-
losophiæ fuisse Deum ipsum: & primam hujus facultatis originem, He-
bræis deberi. Deus enim ipse justam rerum noticiam mentibus homi-
num indidit, sic ut fuerat in prima creatione perfectissima, non solum
quo ad rerum omnium, verum etiam quo ad Dei cognitionem. Postea
verò per lapsum primorum parentum hæc cognitio quo ad dei quidem
noticiam attinet, planè est amissa; & in cæteris externis rebus admodum
obscurata: à Deo ut quædam saltem scintillæ videatur adhuc in menti-
bus hominum esse relicta, quas oportet diligenti studio labore & indu-
stria rursus excineribus & tenebris ignorantia eruere & excitare. Unde
rectè Cicero Philosophiam esse inventum Deorum & donum ait. Et Lu-
cretius quamvis alioquin Epicureus fuerit tamen Philosophiam Deo
acceptam refert cum scribit ad Memnium. l. 5.

Nam

Nam (inquit) si cen ipse peris Maestas ignis a vernis.
Dicendum est Deus ille facit, Deus inclite Memni
Qui princeps vita rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia, quiq; per artem
Fluctibus tantis vitam tantiq; tenebris,
In tam tranquillo & tam clara luce locavit:

Et hæc de quæstione CUR sit: Restat ut paucis aliquid indicemus de
præstantissimæ hujus facultatis necessitate & utilitate: Quis quæso Au-
ditores præstantissimi animum hoc ad studium non adijceret suum
cum quod asperum esse & inamœnum aliqui putant, ita sit dulce, & ju-
cundum, ut nihil suavius, aut jucundius, in votis quidem conceptis ex-
peti possit? Quis huic dies noctesq; non inserviret cum adeo res sit
præclara sapientia imò omnibus temporibus præclarissima? Quis ad
illud ceu ad Lydium non concurreret lapidem cum se colentibus pro-
desse negligentibus verò obesse teste Horatio promittat?

Ut nos longa quibus mentitur amica diesq;
Longa videtur opus debentibus ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataq; tempora, que spem
Consiliumq; morantur, agenti graviter id quod
Æque neglectum pueris, senibusq; nocebit.
Restat ut his ego me ipse regam solersq; clementis
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contempnas Lippus inungi
Nec quia desperes invicti membra blicoris
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.

Quis non ætatis suæ flotem hoc studio incum bente perderet cum tot
præclarissimi viri huic incubuerint? Quis non illud plenâ arriperet
manu? cum inventum ut Plato testatur & donum sit Deorum: Quis non
huic summa cum industria incumberet? cum vitam quietam ac tran-
quillam traducere valeat Horatio teste.

Est quodam prodire tenus si non datur ultra
Fervet avaritia miserq; cupidine pectus,
Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis: & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes, sunt certa piacula qua te
Ter pure læto poterunt recreare libello.

Sed

in Graty-
lo fol. 19.
fol. 50.
fol. 67.

l. 1. anti-
quitat.
Judaic.

Gen. c. 4.
v. 21. & 22.

l. 1.

evlites.
Or. 4. Sed quid multis opus est: qui sunt illi tandem quæso scriptores qui distinctè ordinatèq; dicendi præcepta tradunt? Philosophi: qui rerum admirabilium quæ in terris mundoque causas aperiunt? Philosophi: qui herbarum? Qui stirpium? Qui animantium ortus, progressus, naturas, vires, utilitates, prosequuntur? Philosophi: qui de officio, qui de virtute, qui de ratione instituendæ vitæ, qui de moderandis affectibus disputant? Philosophi: A Philosophis omnis doctrina liberalis: à Philosophis omnis histotia: à Philosophis omnis artium varietas sumi potest: Ab his Oratores, ab his Imperatores, ab his Rerumpub. rectores extiterunt: Neq; quisquã unquã aut in dicendo, aut in reb⁹ gerendis excelluit, qui nõ prius in Philosophorũ officina politus ac limitatus fuisset. Est enim Philosophia fundamentũ disciplinarum omnium quod nisi probè jactum fuerit quicquid superstruxeris fatiscet & corruet. Imò illa est *ἀρετων ἀρετων καὶ χεῖρ* artium omnium: hujus ductu veluti Adriano filo in reliquarum scientiarum labyrinthis versari, omnia exactè perspicere, memoria fideliter comprehendere, & ad usum commode transferre possumus. Hoc si cui admirabile & incredibile videatur; ponat sibi is ob oculos eorum dicta, scripta, & facta, qui Philosophiæ imperiti reliquis studiorum generibus operam navant; videbit eos non modo tanquam imperiti coqui, omnia comminere & confundere, verum etiam quæ aptè secare debeant, ineptè agere & tradere. Unde omnem illam liberalium artium varietatem non pertractandam quidem ac pernosendam penitus sed degustandam etiam & delibandam necessariò esse perspicuum est. At quid verbi? Nonne exempla Regum & principum Philosophiam magni facere testantur: Quid de sapientissimo Israëlitarũ dicam Rege, quæ Philosophiæ scientia imbutũ fuisse disputationes eius de lignis à Cedro quæ est in Libano usq; ad Hyslopum, quæ egreditur de pariete, & de jumentis, de volatilibus, de reptilibus, & de piscibus demonstrant: Quid de Moyse duce ejusdem populi, quem in omni Ægyptiorum sapientia eruditum fuisse Divus Stephanus in actis affirmat. Quid de Octavio Augusto qui studia liberalia, ab ætate prima cupidè & laboriosissimè exercuit. Quid de Pericle, Themistocle, Epaminonda, Scipione, Lucullo, Fabio, Marcello, alijsq; innumerabilibus, quos omnes cum bellicis laudibus claros tum doctrinã & studijs præstantes fuisse historici loquuntur. Sed ut finem meæ Orationis faciam dies enim me deficiet si eruditos homines qui bellicis laudibus, prætiterunt aut fortissimos Imperatores qui eruditionis, & doctrinæ gloria excelluerunt, enumerare institam: utilitates
quasdam

• quasdam speciales hujus præstantissimæ facultatis delibabimus. Nonne præstantissima hæc facultas, quæ non tam fons, quam mare aliquod bonum est in Ecclesia, in sano usu, non ut regina sed pedissequa, non ut domina sed ancilla est. In Ecclesia enim *μεδωκὸν ἀρθοτόμον διδακτικὸν ἐλεγκτικὸν* efficit eum qui verbum veritatis *ἀρθοτομεῖν* rectè secare debet, ne vel *ἀμεδωδὸς* omnia confundat vel chaos Poëticum, vel monstrum Horatianum, vel Anaxagoræ *πανοπεμίαν* repræsentet: De cujus præsentia in Repub. sapienter Plato inquit: Respublicæ tum deniq; fore beatas, si aut docti, aut sapientes homines eas regant, aut qui regunt, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocent: Nonne fontes totius Juris & omnium legum quarum veritas & certitudo ad hanc doctrinam referuntur, & ex ea petitur, sub se continet: teste Oratorum omnium principe cum inquit: Juris disciplinam non à prætoris edicto, neque à duodecim tabulis, sed penitus ex ipsa Philosophia hauriendam esse, eamq; ab hominis natura repetendam, & qui aliter civile jus tradunt, eos non tam justiciæ, quam litigandi tradere vias: quoniam lex sit scientia, ratio, insita in natura quæ jubet ea quæ faciendæ sunt & prohibet contraria: Nonne deniq; ex ea omnis ars medica profluit, teste Hipocrate: qui inquit *ἰατρὸς φιλόσοφος ἐστίν* Medicus Philosophus Deo similis est, & Galeno qui optimum medicum eundem & Philosophum esse scribit. Et ipse Philosophorum præceptis institutus in experientissimum evasit medicum Nonne Postremo etiam sine Philosophiæ cognitione omnia humaniora scripta, sunt sine mente sonus, & verborum tantum lenocinia, sic enim orationes Philosophicis sententijs exornatas esse oportere: teste Cicerone. Sic Poëmata Socratis sententijs hoc est Philosophicis tincta esse oportere: teste Horatio, sic Historicorum libri non exempla modo Philosophicarum præceptionum ostendunt, sed multas habent Philosophicas sententias quibus *ἐπιχειροῦν* & judicium suum confirmant: Quare hebetes & stupidos aut ut verius dicam miseros & perdotos si qui harum rerum suavitatem, atq; utilitatem, fructumq; non sentiunt? Contra verò ter & quater beatos illos quorum ita est affectus animus, ut nusquam suavius, quam in his studijs conquiescat, esse dici: Nihil enim pulcrius: Nihil præclarius his, Nihil deniq; divinius: ne votis quidem conceptis optari potest. Quibus temperandæ sunt Civitates: quibus illæ fundari atque institui: quibus augeri: atq; amplificari: quibus denique copiosissimæ læcuperatissimæ uno verbo ut dicam beatissimæ effici possint. O Res præclaras & ardentissimo studio summaq; corporis atq; animi contentione

l. 1. de leg.

*in Orat-
ion.
in arte
Poët.*

*Muret.
Or. 4.*

tionem dignissimas: O vitæ Philosophia gubernatrix: O virtutum omnium parens: vitiorum omnium expultrix: tuum est falsarum opinionum, temeritatem diripere: tuum est omnem inanitatem, & errorem, amputare ac circumcidere tuum est vitiorum fibras evellere stirpes elidere: semina extinguere: tuum est ut bes parere: & dissipatos homines in societatem vitæ conyocare: merito igitur Divinus Plato: Nihil te præstantius hominum generi à Dijs immortalibus dari potuisse dicebat: Eant nunc isti hujus facultatis contemptores, perfricent frontem si quam habent, & se ullâ ex parte cum Philosophiæ doctoribus conferendos esse prædicent. At vos Viri præstantissimi quos partim hujus præstantissimæ disciplinæ verticem consecutos, partim illius imbutos, atq; initiatos videmus; Macti (inquam) Macti animis neq; vos aut labor deterreat, aut voluptates avocent, quo minus in præstantissima illius adyta penetretis: vobis enim vigiliantibus sudoribusq; vestrorum, & magnis, inter homines præmia, & infinitis partibus, maiora sunt in cælo divinitus constituta. DIXI.

ENCOMIAS TICON

AD

DN. BARTHOLOMÆUM GRENSNERUM,
de Philosophia hoc in sermone differentem;
Couterraneum dilectum.

Non opus est, GRENSNERE, nobis, per amandæ societatis
Carminibus laudem quod tua cæpta meis. (dalis,
Laudibus abstineo, loquitur res, approbat ipsum hoc
FLORUS & Argyropum gloria magna Chori.
Pessima vox isthæc, vomuit quam Teutò nefandus,
Concidit; ENSOPHIAM PANNONA TYRBA FUGAT
APTA NEC EST SOPHIÆ: Nam sic furibundus agebat,
Causa est Hungaricas senserat ille manus.
Diversum monstras exemplo hoc Optime GRENSNER
Dum SOPHIÆ laudes ordine ritè refers.

Denrè

• *Denrè* quo ostendis Musarum in montibus altis
Te sudasse nihil non secus ac retulit.
Quis locus est dictum illas? secedito scurra
Non tibi nobiscum, fæd. & amicitia.
Terra fremat, regna alta crepent, ruat Ortus & orcus:
Nos studio à SOPHIÆ non separabit iners.
Hunc ego! sed restat nostro grat arser uno
Perdus & per nox qui meruisse solet.
Gratulor en, socium doctis qui sudat in hortis
Heliadum, tandem quod mea Musa videt.
Hoc est artis opus doctum vestigia nec non
Defuncti patris per labor usq; sequi.
Militijs sic Macte tuis, sic gloria, sic laus,
Sic tibi fertur honos, Non aliunde, puta
Macte animo GRENSNERE pio; sic Castra sororum
Perge Noxenarum continuare Deum?
Sic tibi major honos veniet pro tempore crede,
Sic te per doctum PANNONA terra canet.
Jam GRENSNERE tibi mihi quem versatio junxit,
Et quem junxit amor, Gratulor hisce πόνους.
Opto ut sælici cedant tibi sydere, vota,
Pondus, Cunctipotens. fac retinere mea.

τῆς Φιλίας καὶ εὐνοίας ἕνεκεν
ἐχέδιασαί

M. STANISLAUS HORLERUS
Leüco. Gepidarum Hungarus
S.S. Θεσοφίας Studiosus.

FINIS.



NO.

M. STANISLAVS HORREUS
I. u. o. C. deim. Hung. us
22. u. o. C. deim. Hung. us

F I N I S